

Duo fratres possunt ducere duas sorores.—3.º Pater mariti potest ducere matrem nurus, seu ejus, quæ est uxor filii: et è converso pater uxoris potest ducere matrem generi.—4.º Privignus potest ducere matrem, filiam ex alio marito natam, vel sororem novercæ; et privigna potest nubere patri filio, aut fratri vitrici: nam privignus et privigna solius vitrici aut novercæ fiunt affines, non verò personarum eis cognatarum.—5.º Si frater et soror moriatur, illius uxor, et istius maritus superstites rectè inter se contrahunt, quia nulla affinitate ligantur.—6.º Si duo fratres mortui sunt, Titius successivè potest ducere utriusque uxorem; dummodò uxores istæ non sit inter se consanguineæ.—7.º Privignus vidui, si is deinde aliam uxorem ducat, et moriatur, potest contrahere cum relicta sui vitrici; nam privignus iste est tantùm affinis vitrici; uxor autem non contrahit affinitatem cum affinibus, sed cum consanguineis mariti.—8.º Maritus Bertæ, ea mortua, ducere potest privignam Bertæ, quia cum hac affinitatem non contraxit. Et similiter uxor mariti habentis privignum ex priori uxore, mortuo marito, potest privigno nubere; et sic de ceteris.—Omnes enim casus facillimè, et sine timore solves, dummodò observes principium suprà traditum, quòd scilicet nullus affinitatem contrahat, nisi maritus cum consanguineis uxoris, et uxor cum consanguineis mariti. Nec curanda sunt hic jura civilia, si quid contrarium statuunt.

## TITULUS XV.

### DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI. <sup>a</sup>

96. *Nota I.* In hac rubrica tria membra distingui, quia inhabilitas ad actus conjugales provenire potest, vel ex frigidityte, vel ex maleficio, et vel ex impotentia seu naturali indispositione partium genitalium ad copulam. Hic omissa hac differentia, *impotentia* generaliter accipitur et definitur: Inhabilitas personarum ad copulam carnalem consummandam, undecumque proveniat. Et communiter ex hac rubrica vocatur *impotentia coeundi*, quæ differt ab *impotentia generandi*, quæ, stante facultate ad coeundum, dari potest ex defectu seminis prolifici, sicut in sterilibus. In hac materia omitto cetera, quæ ad medicos potius, quam Canonistas spectant.

*Nota II.* Impotentiam dividi:—1.º In *perpetuam*, quæ per media naturalia et licita tolli non potest, vel nonnisi difficillimè, cum probabili periculo mortis, licèt forsàn tolli possit per miraculum, aut maleficio: et *temporalem*, quæ per media naturalia seu ordinaria et licita tolli potest absque periculo mortis, licèt forsàn non absit periculum morbi gravis: ita

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Decreto 33. q. 1. *per tot.*, et examinatur hic molestum impedimentum *impotentia*.

com. DD. ex *cap. 6. h. t.* Talia remedia sunt, præter artem medicorum et peritorum, etiam spirituales Ecclesiæ, exorcismi, preces et hujusmodi media apud fideles usurpari solita.—2.º In *absolutam*, quæ impedit veram copulam cum omnibus personis diversi sexus: et *respectivam*, quæ impedit copulam cum una vel altera persona propter nimiam inæqualitatem et improprietatem: cum aliis verò proportionatis eam non impedit.—3.º In *antecedentem*, quæ ante matrimonium contractum extitit in persona: et *consequentem*, seu *supervenientem*, quæ matrimonio jam contracto supervenit.—4.º In *naturalem*, quæ oritur ex vitio naturali, v. g. ex defectu aut ineptitudine partium genitalium: et plerùmque incurabilis et perpetua est; et *accidentalem*, quæ oritur ex vitio accidentali vel intrinseco, v. g. ex humorum intemperantia, vel extrinseco, v. g. ex maleficio, morbo etc.

#### 97. Q. I. Quæ impotentia dirimat matrimonium?

R. 1.º Impotentia ad veram copulam, modò sit perpetua et antecedens, dirimit matrimonium; et quidem absoluta respectu omnium: respectiva verò respectu eorum, cum quibus persona coire nequit: ita com. ex *c. 1. 2. h. t.* Nam talis impotentia jure naturali impedit translationem juris conjugalis: siquidem non potest dari potestas ad id, quod tradi non potest; sicut in nostro casu nec actu, nec potentia debitum reddi valet; ergò talis impotentia dirimit matrimonium. Tum quia per illam impeditur primarius finis matrimonii, quo vir et mulier fieri possint una caro; ergò.—Porro impotentia *ad veram copulam* tunc censetur esse, dum vel non potest fieri coitus ob indispositionem membrorum, ita ut vir debitè emittere, aut femina intra vas semen recipere nequeat, vel dum mas coire valens, verum semen emittere non potest: ob quam causam spado, si à natura, vel ex castratione utroque testiculo privatus est, non contrahit validè matrimonium, ut declaravit Sixtus V. an. 1787. teste Sanch. et aliis; quia verum semen emittere non potest. Si tamen talis defectus superveniat matrimonio contracto, non impedit copulam, etsi per accidens verum semen non emittatur, quia vitium superveniens non debet conjugem privare jure quæsito.

2.º Valida censetur matrimonia, quæ ineunt senes decrepiti et steriles; dummodò apti sint ad coitum; nam verum semen emittunt, licèt per accidens non sit prolificum. Exempla habes in SS. Elisabetha, Anna etc., tum etiam quia potentia verò *coeundi*, non verò potentia *generandi* cum effectu, est de substantia matrimonii, quod sterilibus esse potest saltè in remedium concupiscentiæ: secus est, si sterilitas et evitatio prolis deduceretur in pactum (*cap. fin. de condit. appos. Can. 6. solet. 32. q. 2.*) Illa verba *volo esse mater, cap. 1. hoc. tit.*, idem significant *ac volo cognosci à viro*, quod fit etiam inter steriles.—II. Valet matrimonium spadonis uno tantùm testiculo carentis, ceteroquin apti ad copulam; quia verum, imò et prolificum semen emittere potest. Idem dic de constituto in articulo mortis, quia per se habilis est ad copulam, licèt per accidens ob vim morbi impediatur.—III. Valet matrimonium feminae aptæ ad copulam, etsi sine periculo mortis numquam pariat, quia hoc periculum non causat impe-

tentiam. Si tamen citra periculum incontinentiæ vivere possit, tenetur abstinere à nuptiis, ne vitam suam et salutem prolis periculo exponat. Secus tali, quali periculo, quod incertum et præter intentionem est, præponenda est fæminæ vita spiritualis, ne sine nuptiis tentationibus se exponat.—IV. Econtrà, si fæmina est nimis arcta absolutè, vel respectivè, non valet ejus matrimonium, etsi parata sit cum periculo vitæ admittere incisionem, quia hic adest impotentia perpetua, et consequenter vir permitti potest transire ad alias nuptias. Si verò arctitudo per opus humanum licitum sine vitæ periculo tolli potest, subsistit matrimonium, sive fæmina velit, sive nolit admittere incisionem; quia hoc casu adest impotentia temporalis.

3.º In dubio, an impotentia sit perpetua, vel per medicamenta tolli possit, standum est pro perpetua et incurabili, præsertim si triennio probata sit (*cap. fin. h. t.*) In dubio an impotentia sit antecedens, an superveniens, videtur standum sententia media; et quidem si statim post contractum matrimonium inventa sit impotentia, præsumitur esse antecedens, quia non est credibile, quòd potentia naturalis tam citò degeneraverit in impotentiam. Et hæc præsumptio elidit contrariam præsumptionem, quòd qualitas naturalis insit, donec probetur abesse. At si ex intervallo, præsertim longioris temporis deprehendatur impotentia, præsumitur esse superveniens, quia tempore matrimonii præsumitur adesse qualitas naturalis, donec contrarium probetur.—II. Dubitans, an potens, vel impotens sit, licitè stante hoc dubio non contrahit, quia exponit se periculo peccandi et invalidandi matrimonium. Si tamen contraxit, tentare potest copulam, cum aliter explorare nequeat de sua impotentia.

98. Q. II. *Quid permittatur conjugibus in casu contracti matrimonii cum impotentia?*

R. 1.º Si impotentia fuit antecedens, et secluso periculo incontinentiæ, velint sibi cohabitare tanquam frater et soror, id eis permittitur per *cap. 4. et 5. h. t.* Quia verò talis vita socialis plena est periculo, præstat agere ad dissolutionem auctoritate Ecclesiæ faciendam; maximè, si juvenes sint et incontinentiæ subjecti; quia tali casu prævalet jus naturale præcipiens declinare occasionem peccandi. Ceterum ista confederatio impotentium, cum non tribuat jus in corpora, non est reipsà matrimonium, sed societas tanquam fratris et sororis, ut communis tenet contra Palud., Pontium et paucos alios.—Nec obstat *c. 2. requisitis 33. q. 1;* nam inter impotentes dicitur esse *retinaculum conjugale* de facto et apparenter, non autem de jure et reipsà.

2.º Si impotentia est superveniens, conjuges tenentur sibi cohabitare; non tamen matrimonio uti in illo casu, quo semen virile saltè quoad aliquam partem recipi nequeat intra vas fæminæ, quia ejus dispersio naturæ adversatur: quo tamen casu ceteri actus conjugales imperfecti eis permittuntur, modò fiant sine periculo majoris incontinentiæ. At si impotentia ista superveniat ex testium aut veri seminis defectu, licitè utuntur copula, quia per accidens est quod verum semen non habeatur.

99. Q. III. *Quid juris circa matrimonium hermaphroditi?*

R. Si uterque sexus in illo par est, vel licet unus modicum prævaleat, tamen secundum utrumque aptus est ad copulam perfectam, in optione habet contrahere secundum alterutrum sexum, qua electione facta, variare non potest, et tenetur præstare juramentum de non variando. Si tamen viduus factus, contra juramentum illicitè contraheret secundum alterum sexum, valeret matrimonium, cum nullo jure irritetur. At si alter sexus ita prævaleat, ut secundum alterum nequeat perfectè coire, tenetur determinatè contrahere secundum sexum prævalentem, cum secundum alterum sit impotens.

100. Q. IV. *Quomodo facienda sit dissolutio matrimonii ex causa impotentiae?*

R. 1.º Fieri debet auctoritate Ecclesiæ; cum sit causa spiritualis, et quidem gravissima.—II. Reclamare potest vir, imò et mulier, etsi impotentia se teneat ex parte reclamantis: quia utriusque interest separari ab eo, qui suus conjux non est; et præsertim viri, ne cogatur ad onera matrimonii.—III. Si uterque conjux fateatur impotentiam adesse, audiendi sunt quocumque tempore, etiam post multos annos: quo sensu procedit *cap. 6. et fin. h. t.* Si unus tantum proclamat ante triennium, et simul affert signa certa impotentiae, vel saltè verisimilia, audiendus est ante triennium, et multò magis post illud, dicendo toto illo probationis tempore copulam perfici non potuisse: ita clarè colligitur ex *cit. c. 6. et fin. h. t.* At si proclamans ante triennium affert tantum dubia signa impotentiae, non auditur ante triennium, sed imponitur ei triennalis probatio, ut intra hoc tempus probet consummationem copulæ. Quo sensu procedit *c. 1. h. t.*, atque ita tollitur antinomia circa tempus reclamandi in his juribus apparens. Hoc triennium ex *c. 5. h. t.* computatur à die attentatæ copulæ, vel juxta praxim curiæ rom. à die interpositi decreti, estque moraliter continuum, ac proinde absentia unius vel alterius septimanae, vel etiam unius mensis non censetur illud interrompere. Si verò longior fuit absentia, supplenda est post triennium.—IV. Exacto triennio, impotentia plenè probanda est exploratione medicorum et matronarum honestarum, à judice Ecclesiastico, cujus vicem agunt, electarum, suumque testimonium dant juramento firmatum. Sufficiunt autem duæ honestæ matronæ, quia duorum testimonium verum est, nec *c. 4. h. t.* præcipitur septem obstetrices adhiberi, sed factum de illis adhibitis narratur.—Nec obstat *l. 1. §. 8. ff. de inspiciend. ventr.*; nam quod quinque mulieres desiderentur ad partum explorandum id speciale est, ne hæredibus præjudicetur. Solent autem tales explorationes fieri etiam ante decretum triennalis probationis; et si necesse sit, post triennalem probationem.—V. Asserenti, sive viro, sive mulieri, consummatum fuisse matrimonium, potius creditur, quam neganti (*c. 1. h. t.*), quia favor matrimonii id exposcit, nisi indirectè contrarium probetur. Si verò uterque fateatur impotentiam, ob quam nunquam potuit consummari matrimonium, ne colludere videantur etiam post triennium transactum, utrique defertur juramentum cum septima manu propinquorum, ita ut proclamantes jurent super veritate, quòd matrimonium nunquam consummare potuerit; septem verò propin-

qui seu vicini super credulitate, quod credant matrimonium ab illis non fuisse consummatum. His omnibus ritè præmissis, iudex Ecclesiasticus matrimonium dissolvit, et petenti liberum transitum ad alias nuptias permittit (*cap. 5. et fn. h. t. c. 2. Requisisti 33. q. 1.*) His solemnitatibus non est opus, si post nuptias manifestè appareat impotentia, ut si constet marem utroque testiculo carere, vel fæminam ità arctam esse, ut omninò inepta sit ad copulam; tunc enim non expectato triennio, statim fieri potest dissolutio matrimonii.

2.º Si post factam separationem tractu temporis appareat potentem esse, ob cuius impotentiam matrimonium dissolutum est, prius matrimonium restaurari debet, etsi altera pars ad alias nuptias convolaverit, et ex his proles susceperit: dummodò impotentia sublata sit naturali et ordinario licito modo, et non per miraculum aut maleficium: ità instar regulæ tenent DD. ex c. 6. h. t.—Et novissimè Bened. XIV. lib. XIII. de synod. diœc. cap. 21. n. 5. —Nam in hac quæstione facti Ecclesia decepta fuit, iudicando impotentiam esse perpetuam, quæ reipsà fuit temporalis: at proinde sententia lata est ex errore, quæ in hac causa matrimoniali nunquam transit in rem iudicatam (*cap. 7. de sent. et ré jud.*) Quòd si ex impotentia respectiva matrimonium dissolutum est, et deinde appareat, quòd mulier coire possit cum alio viro ejusdem proportionis et complexionis, pariter prius matrimonium restaurandum est, quia et hic error est facti, et iudicium reipsà falsum. Ne verò ex dissolutione matrimoniorum tanta incommoda sequantur, Episcopus omnibus modis conetur inducere partem impotentem ad ingressum religionis, quia per hujus professionem vinculum matrimonii rati, si quod subest, dissolvetur, et omnia incommoda præcavebuntur.

3.º Impotens ex iudicio Ecclesiæ declaratus, si deinde cum alia contrahat, reus est perjurii, et mox à nova uxore separandus est, sive verè frigidus aut ex alia causa impotens, sive non (*c. 5. et fn. h. t.*). Nam si verè est frigidus et impotens, laborat impedimento dirimente; si verò non est, tenetur redintegrare præcedens matrimonium, nisi uxor jam fuisset mortua: quo casu vir tandiù separari debet, donec plenè probet, Ecclesiam in priori iudicio fuisse deceptam, seque esse potentem.

4.º Dantur quinque casus, in quibus præcedens matrimonium non restauratur, etsi altera pars naturaliter fiat potens:—I. Si impotentia sublata est per verum miraculum.—II. Si sublata est per artem magicam.—III. Si impotentia fuit respectiva, quia hæc plerùmque obstat valori respectu hujus personæ.—IV. Si impotentia fuit causata ex maleficio, quia hæc communiter est tantum respectiva obstans huic numero matrimonio.—V. Si mulier ob arctitudinem professa est religionem, licèt deinde appareat arctitudinem non fuisse perpetuam, sed temporalem; quia vinculum matrimonii per professionem dissolutum est.

101. Q. V. Quomodo maleficium, ex quo causata est imponentia, licèt tolli possit?

R. 1.º Adhibenda sunt media spiritualia à Deo et Ecclesia ad tollendas præstigijs ordinata, ut invocatio SS. Trinitatis, et B. V. et aliorum San-

ctorum, aqua et aliæ res benedictæ, Reliquiæ Sanctorum, jejunia, confessio, communicatio etc.—2.º Maleficium per aliud maleficium licèt tolli non potest, etsi magus ad hoc se offerat; quia facere vel consentire in maleficium est intrinsecè malum; cum diabolus hoc modo colatur, et in eo spes collocetur.—3.º Si cum dæmone initum est pactum duplex, ut ad positionem certi signi causet impotentiam vel aliam infirmitatem et ad remotionem ejus, virtute sua restituat potentiam et sanitatem, non est licitum tale signum remove; siquidem sanitas peteretur ex virtute diaboli, quod intrinsecè malum est. At si præcessit pactum simplex, vi cuius dæmon causat impotentiam, ità tamen, ut remoto signo per se et naturaliter potentiam redeat, licitum est remove tale signum ex communi sententia; nam talis remotio de se est actus indiferens, neque tacitam habet invocacionem dæmonis, etsi quis iudicet, quòd signo remoto, removebitur impotentia, quia sic iudicare nullo jure prohibetur. Unde etiam iudices in foro externo cogere solent maleficos ad tollenda signa.—4.º Si maleficus sciat plura media, alia licita, aut illicita, potest quis petere ab illo solutionem maleficij, saltèm ex charitate, præmonendo illum, ut medio licito utatur; nam talis petitio de se est honesta; accidit verò, quòd maleficus, neglecto medio licito, utatur illicito. Quia verò petenti vix unquam constare potest, an maleficium modo licito tolli possit, in praxi rarissimè peti potest solutio maleficij, præsertim ab alio, qui auctor maleficij non fuit. Plura de his Delrio, Cajet., Sanch. et alii. Vide P. Schmalz. a n. 20.

## TITULUS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIE. <sup>a</sup>

102. Ad hunc titulum rejeci tractationem de impedimentis purè impedientibus, cum quibus matrimonia contrahi Ecclesia prohibet, contracta tamen non dissolvit. Nomine *interdicti* non venit hic censura, de qua *l. 5. tit. de sent. excom.*; sed impressa significatione venit hic *prohibitio*, qua legitimus superior ex justa causa prohibet celebrationem matrimonii. Si hoc, stante hac prohibitione, celebretur, dicitur contrahi contra impedientia 12. his versiculis expressa:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,  
Atque catechismus, sponsalia, iungito votum,  
Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,  
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,  
Vel si pæniteat solemniter, aut monialem  
Accipiat, prohibent hæc conjugium faciendum:

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Decreto c. 8. Non oportet 35. quæst. 4.—In Trid. Sess. 24. c. 1. et 10. de reform. matrim.

Vel brevius: *votum, interdictum, feriae, sponsalia, crimen, impediunt fieri, permittunt facta teneri.* De sponsalium, voti et catechismi impedimento egi *tit. 4. 6. et 11.* supra: hic restat agendum de interdicti, feriarum et septuplicis criminis impedimento.

403. Q. I. *An stante interdicto seu prohibitione Ecclesiae, matrimonium validè et licitè celebretur?*

R. 1.<sup>o</sup> Validè celebratur: ità com. ex *cap. 1. 2. h. t.*; quia Episcopi et Prælati Papa inferiores non possunt vetare matrimonia sub irritatione, dommodo impedimentum dirimens de jure com. non subsit, cum non habeant potestatem inducendi impedimenta dirimentia. Imò licet Papa ponat interdictum, regulariter contra illud valet matrimonium, quia etiam Papa conformiter juri communi censetur interdicere matrimonium, scilicet sub ratione impedimenti impediens, nisi expressè addat decretum irritans, quod et potest ex potestate apostolica: hoc sensu procedit *c. 1. Videatur 35. q. 6. et cap. 13. de despons. impub.* At si reipsa subsit impedimentum dirimens, matrimonium est invalidum; non quidem ratione interdicti, sed impedimenti dirimentis (*cap. 2. de despons. impub.*), et si lis pendeat super valore prioris matrimonii, sponsi secundarum nuptiarum separandi sunt donec plenè constet, an prius matrimonium valeat, necne.

2.<sup>o</sup> Stante interdicto, matrimonium illicitè contrahitur (*cap. fin. h. t.*); quia contrahentes violant grave præceptum legitimi superioris; et ideo subjici possunt excommunicationi, *ibidem*: nisi forsitan ex levi causa nuptiæ ad breve tempus prohiberentur. Causæ justæ interdicendi matrimonium sunt:—I. Sponsalia priora cum tertio inita.—II. Suspicio non vana latentis impedimenti dirimentis, aut impediens.—III. Timor gravium discordiarum, rixarum et scandalorum, quæ ex contrahendo matrimonio eventura timeantur (*c. 1. 2. h. t. cap. fin. Cum autem, de cland. despons.*) Stante ex his aliqua causa, non tantum Papa et Episcopus, sed etiam parochus interdicere potest matrimonium (*cap. fin. h. t.*); siquidem prohibitio ista fieri potest et debet à parochio extrajudicialiter, donec Episcopus de causa cognoscat. Excommunicatio vel alia censura, per se non est causa interdicendi matrimonium, benè verò per accidens, quatenus excommunicatus et alter sponsus scienter ei communicans, ratione peccati et censuræ dignè et licitè hoc sacramentum administrare et recipere non potest (*cap. 6. de eo, qui duxit.*) Si autem excommunicatus sit toleratus, alter cum eo contrahens, per se videtur immunis ad omni culpa; quia contrahendo utitur jure suo, et communicatio cum excommunicato tolerato permissa est illi, ex Constit. Martini. V. *Ad evitanda.*

404. Q. II. *Quo tempore celebrari non possint nuptiæ?*

R. 1.<sup>o</sup> Sacramentum matrimonii omni tempore anni celebrari potest, ut declaravit S. Cong. habetque communis praxis, ne scandala et gravia mala oriantur. In certis tamen diocesisibus parochus sine licentia Ordinarii non audet assistere matrimonio feriis prohibitis.

2.<sup>o</sup> Nuptiæ seu matrimonia cum solemnitatibus et strepitu exteriori non possunt celebrari licitè à prima dominica Adventus, incipiente post mediam noctem, usque ad Epiphaniam; à die Cinerum, pariter post me-

diam noctem incipiente usque ad octavam Paschæ inclusivè: ità jure novo Trid. sess. 24. *cap. 10. de reform. matrim.*, ubi restringuntur jura antiqua, quæ tempus istud ampliabant à septuagesima usque ad Pascha, à feria secunda Rogationum usque ad octavam Pentecostes, et duabus vel tribus septimanis ante festum S. Joan. Bapt. (*c. 8. et seqq. 33. q. 4. et c. 4. de feriis.*) Porrò dictis feriis prohibetur:—I. *Benedictio nuptiarum*; alioquin Sacerdos arbitrariè puniendus est: ipsi verò contrahentes in pœnam delicti separari debent (*c. 10. ibid.*)—II. *Solemnia tractio sponsæ* in domum sponsi (*c. 11. ibid.*), quod præceptum graviter obligat, sed non se extendit ad privatam traductionem, neque ad consumptionem matrimonii; multò minus ad denuntiationes, quæ propter investiganda impedimenta quocumque tempore fieri possunt et regulariter debent.

3.<sup>o</sup> Tempore interdicti, ut censura est, per se validè et licitè celebratur matrimonium. Nam *cap. 4. de feriis* dicitur eam esse romanæ Ecclesiae consuetudinem, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur.—Nec obstat *cap. fin. de sent. excom. in 6.*; nam dispositio ista procedit de sacramentis tempore interdicti non administrandis à ministris Ecclesiae, non verò de matrimonio, quod à contrahentibus conficitur instar aliorum contractuum: nec opus erat illud excipere, quia ex praxi Ecclesiae constat illud semper fuisse exceptum. At nuptiæ benedici non debent: quia, cum tempore interdicti prohibeantur missarum solemnities, etiam benedictiones in missa fieri solitæ prohiberi censentur. Quòd si contrahentes specialiter sint interdicti, contrahendo in sua contumacia, peccant, non ratione censuræ, sed quia indignè in peccato administrant et recipiunt sacramentum matrimonii.

405. Q. III. *Quæ sint crimina tantum impediens matrimonii?*

R. Seqq.—1.<sup>o</sup> *Susceptio propria sobolis* ex sacro fonte, vel confirmatio; putà malitiosè ad privandum alterum debito conjugali: ità ergò levans post mortem conjugis non potuit ad alias nuptias transire (*c. 5. 30. q. 1.*)—2.<sup>o</sup> *Presbytericidium* (*cap. 2. de pœnitentia*); nam æquum est, ut interfector sacerdotis, in foro externo convictus, careat nuptiis, quibus sacerdos assistere solet.—3.<sup>o</sup> *Solemnia pœnitentiæ*, quandiu durat (*c. 16. 33. 4. 2.*), quia luctui ob præterita delicta assumpto nuptiæ non conveniunt.—4.<sup>o</sup> *Matrimonium cum moniale* scienter attentatum (*c. 13. 27. q. 1.*), quia delinquens in sponsam Christi meretur arceri à quocumque matrimonio cum alia persona.—5.<sup>o</sup> *Uxoricideum* privata auctoritate patratum (*c. 5. et seqq. 33. q. 3.*), quia uxoricida non est dignus aliam uxorem habere, etsi priorem in adulterio deprehensam occidisset (*cap. 6. et 9. ibid.*) Idem dic de uxore, si hæc maritum occidat (*cap. 1. de divort. c. 4. Indigentur 32. q. 6.*), licet Sanch. et alii id nolint extendere ad uxorem, cum rarum sit, ut uxor maritum occidat. Huc refertur *occisio proprii filii*, *cap. 1. de his qui fil. occid.*, ubi mulier fragilis dispensatur ad matrimonium, adeoque laboravit impedimento.—6.<sup>o</sup> *Raptus alienæ sponsæ*, ne raptor cum ulla alia contrahere possit (*c. 34. Statutum 29. q. 2.*)—7.<sup>o</sup> *Incestus* commissus cum consanguinea suæ uxoris, et econtra, ut dixi supra *tit. de eo, qui cognov.*